

deri, quia licet nos non semper istas reflexiones advertamus, judicia tamen, et dictamina de faciendo tali actu fidei, vel orationis, aut prudentiæ bene sentimus, cum id sæpius judicemus hic et nunc expedire.

XXXIV. Ad id autem quod dicitur, cur non dicatur actum imperii esse præsuppositive intellectus, et formaliter voluntatis, sicut nos e converso dicimus, respondetur ex dictis id constare, quia consummatur ultimate, et exercetur actus imperii in denuntiatione, et ordinatione eorum, quæ agenda sunt. Certe si prius inciperet intellectus ordinando, et denuntiando, deinde sequeretur efficacia voluntatis in movendo, non posset intellectus repræsentare, et denuntiare ipsam efficaciam voluntatis per anteriorem actum, quia illa nondum est, sed indigeret actu alio consecuto, et posteriori ex parte intellectus, et in illo tunc consisteret imperium, eo quod maxime ad imperium pertinet manifestare, et denuntiare efficaciam voluntatis, nisi enim hanc denuntiet, non obligat: hanc autem non potest denuntiare, nisi præcesserit; ergo debet præcedere, et præsupponi motio voluntatis, consummari autem in ipsa denuntiatione, et actu intellectus, quo ipsa voluntatis efficacia manifestatur, et sic tam ipsam voluntatem, quam alias potestas ad exequendum efficaciter dirigit, et movet.

XXXV. Ad tertium respondetur negando minorem. Ad probationem dicitur pertinere ad prudentiam imperare elicitive, producendo ipsum actum imperii, et non solum regulative: nam cum ipsum præceptum, et imperium regula sit, et dictamen agendi, idem est prudentiam regulative se habere, et elicitive in eliciendo imperium, quia elicere imperium, est elicere regulam, et ordinationem

agendi. Quod vero dicitur pertinere ad justitiam, respondetur in primis imperare non est strictæ justitiæ, sed potius gubernationis, et regiminis, et arbitrii; multa enim imperantur ob bonum regimen, et arbitrarium, non ex justitia, multa etiam malo arbitrio imperantur, et contra justitiam. Non ergo universaliter omne imperium ex justitia est, quia non omne justum est. Et si aliquando est ex justitia legali, quæ respicit bonum commune, hoc ideo est quia justitia legalis movet, et utitur intellectu ad imperandum, non ipsa elicit formaliter actum imperii. Est autem imperium actus jurisdictionis, sicut dominii, scilicet motive, et præsuppositive, formaliter autem et executive est dominii manifestati, et denuntiati mediante intellectu.

XXXVI. Ad ultimum negatur antecedens. Ad probationem pro prima parte dicitur, imperium esse actum, seu judicium ordinativum de agendis quoad ultimam executionem, et sic sequitur voluntatem volentem obligare, et facientem impetum ad exequendum. Et talis actus sequens istam voluntatem est quidem signum manifestativum ejusmodi voluntatis, sed non supponit imperium constitutum, sed potius constituit, eo quod imperium signum est voluntatis, et in ratione manifestativa, et denuntiativa, voluntatis consistit. Quæ manifestatio primo in mente concipitur, deinde vocalibus signis (quæ sunt exteriora signa hujus imperii) manifestatur ad extra. Ad ea vero quæ dicuntur de voto, promissione, absoluteione, etc. respondemus, illa omnia dependere ab intentione ut valida sint, et obligent, quia omnis obligatio ex efficacia voluntatis procedit, et idem similiter admittimus in imperio. Sed hæc solum probant imperium procedere, et præsupponere effica-

ciam, et motionem voluntatis, non tamen in ea formaliter consistere.

XXXVII. Ad secundam vero partem argumenti dicimus, illas condiciones imperii non competere voluntati formaliter, et elicitive, sed motive. Nam esse mensuram agendorum non est imperium, nisi quatenus manifestata, et denuntiata, et rationabiliter ordinata, non ut præcise cogens, aut impellens, et ideo formaliter debet exerceri in intellectu denuntiante, et ordinante, non in voluntate cogente, cum potius efficaciam voluntatis debeat denuntiare, et ordinare, ac temperare. Esse autem illuminativum convenit imperio quasi active, imperato passive. Et ideo non est in hoc aliqua æquivocatio, quia lex, et imperium ita facit in subdito hunc effectum illuminandi, quod debet provenire ab aliquo lumine, seu manifestatione denuntiativa ex parte imperantis: alioquin unde illuminabitur subditus, si superior non manifestet, et ordinet. Quæ ordinatio prius debet esse in intellectu, postea in voce. Denique hoc quod est ordinare formaliter et elicitive ad intellectum spectat, motive et efficaciter ad voluntatem, quia ordinatio illa non est pure cogens et movens, sed rationabiliter ordinans. Et Angelus loquens ordinat per voluntatem conceptum suum ad alterum, a voluntate quidem incipiendo et movendo, per conceptum autem loquendo, et denuntiando formaliter, ut in II tomo, I p. disp. xxv diximus. Et cum dicitur, quod ex parte præcipientis intimatio est voluntas intimandi, dico, quod voluntas intimandi non est formaliter intimatio, sed res intimata, et vis efficaciter movens ad intimandum; intimatio autem fit formaliter per denuntiationem, et hæc in intellectu fit per dictamen, et regulam denuntiativam.

ARTICULUS III.

Qui sint actus imperabiles?

I. Ex his quæ in textu hujus quæstionis XVII diximus, colligitur regula discernendi, qui actus possint imperari, videlicet illi, qui sunt in potestate nostra et arbitrio, et in quibus efficiendis a ratione persuaderi possumus. Qui vero sunt extra talem persuasionem, et potestatem, seu gubernationem, imperio non subduntur. Quæ regula per se satis intelligitur, cum propria imperii natura ad regimen, gubernationemque superioris spectet, et potestatem petat, quæ cogere, et obligare possit ad obediendum sibi, alioquin inane, et vacuum erit imperium.

II. Ex hac regula facile colligi potest, qui actus, et cujus potentia imperabiles sint. Possunt enim imperari actus intellectus, actus voluntatis, actus appetitus sensitivi, actus potentia motivæ, et reliquorum sensuum quantum ad id quod ex apprehensione, motuque locali dependet. Non possunt imperari actus partis vegetativæ, nec ea quæ sine apprehensione fiunt, aut quæ dependent ex aliqua alteratione naturali, quæ in manu nostra non est, ut motus genitalium, motus spirituum vitalium, et multa quæ interioribus sensibus aguntur, ut quod hoc, vel illud memoriae occurrat, quod sæpe in manu nostra non est.

III. Circa ista autem breviter occurrunt aliqua notanda. Primum, quod voluntas, et ratio imperant sibi ipsis non in eodem genere causæ, nec respectu ejusdem actus, sed in diverso genere, et respectu diversorum actuum. Unde istæ potentia ad invicem se movent, unaque

participat ab alia, et similiter quælibet reflectit supra se, et transit de uno actu ad alium. Et sic vis motiva, et coactiva quoad exercitium, quæ dat efficaciam imperio, radicaliter et per se est in voluntate. Et in hac virtute, et ratione movendi voluntas ita est prima in imperando, quod a nulla potentia imperatur, ut dicit S. Thomas in II, dist. xxiv, quæst. I, art. I, id est, a nulla potentia primo, et per se movetur, sed a se incipit prima vis motiva. Posita tamen motione voluntatis applicante, et movente intellectum, ita participat ab illa efficaciam, et vim motivam, quod intellectus sic motus imperat ipsi voluntati, quatenus ordinat quid agere debeat, et quomodo, nam voluntas maxime dirigitur, et persuadetur a ratione, et ab illa ordinatur, et maxime est in sua potestate sic moveri, et persuaderi; illi ergo convenit esse imperatum. Sed tamen voluntas sic movens, et intellectus sic ordinans, ad alium actum movent distinctum a primo, scilicet ad agendum id, quod post illum primum sequitur, et ordinatur ut fiat. Unde nunquam movetur, et movet circa idem, sed circa diversa, scilicet circa diversos actus, licet sit in eadem potentia, et ab ea inceperit motio, incipit enim pro alio actu: nec enim est inconveniens quod eadem potentia se moveat de uno actu ad alium, et reflectat super se ipsam, et sic per reflexum actum imperet sibi, non quia reflectit super actum præcedentem ut imperet illum, sed quia super se ipsam reflectit potentia ut ad alium actum moveat, illumque imperet.

IV. Secundum est, quod intellectus imperans tam sibi ipsi ut alium actum ab imperio distinctum efficiat, quam voluntati ut efficiat actum distinctum a prima motione voluntatis imperante, semper sup-

ponit aliquem actum liberum voluntatis a qua applicatur intellectus, ut imperium eliciat, vel consilium, qui actus est usus, loquendo largo modo de usu pro omni applicatione voluntatis ad operandum, non stricte pro illo usu, qui est ad exequendum post electionem, et imperium. Itaque voluntas post primum actum, qui versatur circa finem, et dirigitur ab intellectu non imperante, sed solum proponente, movetur autem et excitatur intellectus ad proponendum non ab ipsa voluntate (quia ille est primus actus) sed a Deo, ut dicit S. Thomas in hac quæstione xvii, art. v ad tertium: post istum inquam primum actum incipit voluntas movere rursum intellectum ut ordinet, et tractet de consecutione finis, et de prosecutione, vel cessatione a tali fine in particulari, de mediis, et aliis convenientiis suis. Et illa motio, seu pulsatio voluntatis, qua sic de novo applicat intellectum est usus, id est, applicatio voluntatis, ut alia potentia operetur: et illa ordinatio, seu dispositio intellectus dicitur imperium, largo modo loquendo de imperio pro quacumque ordinatione efficaci intellectus de agendis; ante electionem enim proprie, et stricte non est imperium, vel consilium, vel inquisitio, quia non est ordinatio de executione mediorum, quod proprie imperium est, quia imperium respicit ultimatam executionem dicendo: Fac hoc.

V. Dubitant tamen aliqui de illo usu, quo voluntas applicat intellectum ut formet imperium, vel consilium, a quo actu intellectus ille usus, et illa applicatio dirigatur; nec enim potest voluntas movere, et applicare de novo ad agendum, nec aliquid velle de novo, nisi ab intellectu moveatur; quis ergo actus est ille, quo intellectus movet voluntatem, ut utatur, et applicet,

estne aliud imperium, an alius actus, qui imperium non sit? Respondetur relictis variis modis dicendi, quod ille actus sic dirigens non est imperium, de illo enim esset quæstio eadem, quomodo ad illud præcederet voluntas, et illa voluntas a quo, intellectus actu sed ille prior actus, quo intellectus indifferenter proponit finem, et cum ipso fine proponit ordinem ad media saltem in confuso, aut virtualiter, ex illo actu sufficienter movetur voluntas, ut intellectus de novo inquiret, et proponat, et consilium habeat, vel ordinationem circa alia agenda, sicut etiam ipsum consilium, et iudicium quo dirigitur voluntas ad electionem sufficienter dirigit, et movet voluntatem, ut non solum eligat, sed etiam impetum faciat ad executionem, et ad movendum intellectum ut imperet, eo quod consilium illud non solum proponit voluntati ut eligat, sed ut eligat pro executione, et assecutione reali finis. Hoc enim est generaliter observandum, quod ut voluntas velit, et moveat, et applicet non requiritur, quod de quolibet objecto distinctum, et expresse sibi proponatur, sufficit quod implicite, aut in confuso, vel de connotato iudicetur potius, quam proponatur sibi: imo ardentius solet voluntas moveri circa ea, quæ sibi magis in confuso, et sub aliquo velamine, aut obscuritate proponuntur, ut ad ea inquirenda moveat, et applicet. Et sic quando primo sibi proponitur finis, etiam sibi virtualiter, aut in confuso proponitur assequibilitas per media, proponitur etiam sibi talis finis cum indifferentia ad alium. Et exinde voluntas habet sufficiens iudicium, et propositionem ut moveat intellectum ad inquirendum magis, vel de illo fine, vel de alio, vel de mediis, et sic ex propositione implicita, et iudicatione rei, vel connotatione

etiam in confuso, sufficientem directionem habet voluntas ut possit uti intellectu, illumque movere, et applicare, ut magis explicite tractet de fine, aut ordinet de mediis, et sic fiat deinceps consilium, et iudicium, vel imperium.

VI. Tertio est notandum circa appetitum sensitivum, et potentiam loco motivam (quæ vel in ipso appetitu principaliter residet, vel in membris, vel in utroque, secundum diversas opiniones de hac re) quod appetitus sensitivus quoad suos affectus, eorumque vehementiam, aut mitigationem non subditur imperio rationis despotice, id est, sine ulla resistantia ad obediendum, sed politice, id est, supponendo aliquam resistantiam, et sic indiget ratio iteratione, et frequentatione, ac perseverantia imperii ut vincat appetitum, et frangat motum illius. Ad hoc autem ut potentia motiva exequantur motum localem, dummodo membra non sint impedita, aut organa motus læsa, nulla est resistantia non solum ex parte membrorum, et potentia motiva, sed neque ex parte ipsius appetitus: constat enim quod potentia motiva non movet nisi ab ipso appetitu sensitivo applicetur immediate. Ratio vero disparitatis est, quia ipsi affectu passionum dependent multum ab aliquibus causis, quæ in manu nostra non sunt, et ideo non nisi per magnam tolerantiam, et violentiam vinci possunt. Motus autem localis non dependet nisi a potentia motiva non impedita. Causæ autem a quibus dependent passiones, et affectus appetitus sensitivi sunt plures alterationes, quæ fiunt a calore, aut frigore, et ex dilatatione, aut constrictione cordis, vel sanguinis, aut spirituum; quæ omnia disponere, et movere in potestate nostra non est. Similiter ex parte apprehensionis dependet appetitus sensitivus, moveturque a

phantasia, et imaginativa, et vires istæ in suis motibus non dependent omnino ab imperio nostro, quia moventur maxime ab objectis præsentibus, itemque a diversitate temperamentis, et humorum, quæ omnia immutare in nostra potestate non est; et generaliter loquendo quæcumque mediante alteratione naturali primarum qualitatum fieri debent, imperio non subduntur, quia non moventur ab apprehensione et persuasione. At vero motus localis non dependet ab alteratione, sed de se est motus nobilior, quia independentior a materia, et materialibus conditionibus. Unde et competit nobilioribus corporibus, scilicet celo, et ipsis spiritibus separatis, scilicet Angelis. Et sic de se est aptior ut imperio rationis subdatur, et tanto magis quanto independentior a conditionibus, et alterationibus corporalibus, quæ minus sunt in manu, et arbitrio nostro, quia magis naturales, et non mobiles per apprehensionem. Et sic ad potentiam motivam exercendam nulla est resistentia in appetitu, si membra non sint impedita; ad se dandos autem, vel incitandos affectus, et passiones est magna resistentia, nec potest ratio vincere, et frangere illas nisi cum magna perseverantia, et artentissima cogitatione ad res superiores, et violentiam naturalium alterationum, et qualitatum sufferendo, et vim sibi faciendo, ne deducatur ab illis. Et sic magis instando, quam imperando vincit.

VII. Quartum est, quod ea quæ ad partem vegetativam spectant, nec solo motu locali membrorum fiunt, sed etiam alteratione, vel augmentatione, non subduntur imperio rationis, quia motus isti alterationum magis naturales sunt, magisque a conditionibus materialibus dependentes, ideoque minus reguntur arbitrio, sed natura, quia ut di-

cit D. Thomas in quæstione XVII, art. VIII: «Appetitus naturalis non ducitur ab apprehensione, sicut appetitus animalis.» Ea vero solum subduntur imperio, quæ arbitrio regi possunt, et non a natura determinantur. Nec obstat, quod etiam motus localis fit ministerio membrorum, quæ materialia sunt, et motus localis de se est imperfectior, quam alteratio, quia terminatur ad ubi, et alteratio ad qualitatem, quæ nobilior est. Dicimus enim, quod membra solum se habent ut organa, et instrumenta motus localis, ipsa autem potentia motiva de se nobilior est, et immaterialior, licet resideat, vel indigeat illis organis, quia magis propinquior est ipsi appetitui sensitivo; imo ut aliqui existimant, solum est active in appetitu sensitivo, in membris vero solum est passive ad obediendum appetitui, licet etiam hæc obedientia fiat exequendo modum, de quo diximus in libris de anima, quæst. XII. Et sicut visus, et sensus interiores indigent membris, et organis tamquam instrumentis, licet in se sint potentia valde perfectæ, magisque immateriales, ita et potentia loco motiva.

VIII. Quod vero dicitur de perfectione alterationis, et motus localis dicimus, quod licet qualitas sit perfectior, quam ubi, entitative loquendo, tamen in modo operandi perfectior est motus localis, quia minus dependens est a materialibus conditionibus, quam alteratio, nam propriæ dispositiones materiæ ut materia est, et ut ordinatur ad formam, fiunt per alterationem, et sic alteratio magis immersa est materiæ; motus autem localis non disponit materiam ad formam, et sic non habet de se conditiones immensas materiæ. Alias eodem argumento probaretur, quod alteratio esset nobilior generatione substantiali, quando generatio solum producit

unionem, ut in resurrectione, quæ solum illam producit, cum unio sit modus, et terminus alterationis sit qualitas.

IX. Nec obstat, quod temperantia versatur circa delectationes tactus, quæ pertinent ad partem vegetativam, et sic videtur, quod illæ delectationes gubernari possunt imperio et ratione. Respondetur enim, quod temperantia non regit illas delectationes, quatenus materialiter sunt in tactu, et membris, sed quatenus formaliter sunt in appetitu, et sunt affectus appetitus, qui quidem versantur circa illas delectationes tactus, et circa applicationem

tangibilium tamquam circa objecta, et materiam, sed in moderatione passionum respicientium talem tactum versatur temperantia; et isti actus appetitus sensitivi nobiliores sunt, et minus materiales; imo etiam motus localis ideo magis imperari potest, quia magis formaliter dependet ab actu appetitus sensitivi, et minus a materialibus organis, quam actus aliarum potentiarum, quæ in sensatione magis dependent ab alteratione sanguinis, ac spirituum, reliquorumque humorum temperamento, sine quibus non sit illa sensatio.